

6.  
2  
IN IMAGINEM

EBRIETATIS CARMEN.

Rodolpho Collino iuniore

Tigurino authore.



TIGVRI EX CVDEBAT CHRISTO-

phorus Froschouerus iunior.

Romeij sum.

XVIII 292.6  
2

RODOLPHO COLLINO PATRI

*Rodolphus Collinus F.*

Quod temere effudi modo carminis inter amœna  
Musarum, & Sophiæ multiplicis studia:  
Dum me Saxoniæ fouet urbs clarissima gentis:  
Chare pater, tenues accipe primitias.



RODOLPHI COL-  
LINI IVNIORIS DE  
EBRIETATE CARMEN.

**C**OGNITA si tibi sit minus Ebrietatis imago,  
Nota tamen multis qua solet esse viris.  
Inspice quā præsens mostrat tibi charta figurā,  
Hanc animo, hanc oculis perge videre tuis.  
Ecce palam vini reddit puer iste fluorem,  
*Corniger,* atq; nudus: sceptra caduca gerit.  
Exertum gladium fert, pertusamq; crumenam:  
Insistens pheretro: sub iuga Ditus abit.  
Sed tamen ut noris cur picta sit ista figura,  
Et monstrosa hominis quid sibi forma velit.  
Expediam facili Lector tibi singula versu,  
Quid ferat ebrietas ista tabella docet.  
Cernitur effrontis pueri monstrosa figura,  
Et qui vesicam stans sine ueste leuat.  
Quid typus iste ferat præse, fortasse requiris,  
Exprimunt hic mores quos temulentus habet.  
Nam postquam fuerit nimiū haustus Maſicus humor,  
Tunc omnes sensus vincula dura ferunt.  
Fumus enim in neruos solet exhalare vapores,  
Et cerebri vires impedit ipse vapor.  
Namq; tenet cerebri septenos fabrica neruos,  
Spiritus atq; focos hic animalis habet.  
Sicq; paratus ibi, simul inde canalibus illis  
Corporis in ualidi cetera membra venit.  
Auxilio illius sua munera membra ministrant,  
Nam sentire facit, atq; mouere facit.

puer nū  
dus, In-  
uerecūs  
dus.

Hunc turbat fontem unum uimq<sub>z</sub> eripit omnem,  
Nec sentire sinit, néue mouere sinit.

Sic fiunt tremebunda, et) sano in corpore languent  
Membra, nec officio sunt satis apta suo.

Nanq, ita spiritibus fumi miscentur inanes,  
Ut nequeat cerebrum fungier officio.

Tunc puerascit homo, et) quamcunq<sub>z</sub> mouetur ad aurā,  
Et quæcunq<sub>z</sub> libent illa licere putat.

Perturbantur enim loca cuncta vaporibus ipsis,  
Tunc simul et) ratio, iudiciumq<sub>z</sub> fugit.

Hinc homines eadem, quæ bruta animalia patrant,  
Inq diem veniunt quæ latuisse decet.

Nil vetat, in cætu ventris minuisse laborem,  
Detegere ornatu membra tegenda suo.

Hinc animi seruat custodia nulla pudorem.  
Ebrius hinc varijs motibus actus abit.

Quin agit et) visu quæ sint, et) turpia dictu,  
Quæ Cynicus, vel quæ turpis adulter agit.

Hinc etiam nescit linguam frenare solutam,  
Non seruata hominum, non ratione loci.

Inter honestorum coniuia siue virorum,  
Siue puellarum viuat in ordinibus,

Seu mage matronas sit apud, fædissima gaudet  
Verba loqui fœda fædior ipse cane.

Sæpe (quod est grauius) conuitia dira precatur,  
Et violare ipsum non cauet ore Deum.

Deniq non verbis, non parcit turpibus actis,  
Ingenui quia non frena pudoris habet.

Crimina tot secum turpis temulentia profert,  
Quæ tibi significat stans sine veste puer.

Corni-  
ger. Cur gerat humana duo cornua fronte puellus,

Scire cupis? dicam forma quid ista velit.  
 Taurus ut incedens alte sua cornua iactat,  
     Solum et armenti rex cupit esse sui.  
 Atq; furore tumens animantia cuncta lacebit,  
     Cornibus inuadens obuia queq; suis.  
 Vinum sic animos parat, et dat cornua vinum,  
     Humanos homines et facit esse feras.  
 Cumq; mero incaluit pauper quoq; cornua sumit,  
     Est paupertatis nec memor ille sua.  
 Sed furit, atq; furens elata mente superbit.  
     Sauius et in quosuis obuius ire parat.  
 Efferat ergo homines si vitis amabilis humor,  
     Cornua bina gerit non temere iste puer.  
 Quid? quod habet sceptrum puer hic? sed more sinistro     Scepte-  
     Cuius ab extrema parte corona cadit. triger.  
 Nempe quod ebrietas iacturam semper honoris  
     Efficit, et regnis quod parit excidium,  
 Rex nimia Bacchi qui cura et amore laborat,  
     Imperi curam negligit ille sui.  
 Illius regale gerit non dextera sceptrum  
     Rite, sed inuerso more sinistragerit.  
 Nec gerit erectum, sed delabente corona  
     Paulatim sceptri pars bona vergit humi.  
 Imperij certam minitatur utrung; ruinam.  
     Sceptra manu, capite et pulchra corona cadet.  
 Quot regum pueros, quot quantaq; regna Lyeus  
     Euertit, veteri fertur in historia.  
 Pelleus iuuenis totum qui vicerat orbem,  
     A nimio Bacchi munere victus obit.  
 Baltasar ut noctu celebrat rex Orgia Bacchi,  
     Hac regno, et regi nox tulit exitium.

C A R M E N.

*Idq; exempla docent, et docet ipsa dies.*

*Quæ typus hic pheretri monet euitare pericla.*

*Sæpe etenim madido mors inopina venit.*

*Quid? quod et hunc puerum religat retinetq; catena  
Captiuum Sathanas, significare putas?*

*Inpromptu causa est. Stygium exagitare tyrannum  
Compotatores, ista figura docet.*

*Qui malus ipse, malas artes docet, inter et illas  
Pessima (si verum dixeris) ebrietas.*

*Nam rapidum rabiosa fames agitare leonem  
Ut solet, armenti quo stabula alta petat.*

*Sic struit insidias Demon, sic mille per artes  
Hinc illinc homini retia cæca locat.*

*Nec requiescit enim: primum dulcedine vini  
Humanos sensus illicit atq; capit.*

*Sensibus et captis hominem vincire catena  
Mox studet, inde suo tum regit imperio.*

*Ergo sub imperio Sathanæ temulentus habetur.  
Quæq; iubet Sathanas, ebrius illa facit.*

*Hunc dum viuit habet dominum, post fata suprema  
Tortorem misera sentiet esse animæ.*

*Nanq; caret moriens mentis ratione sagaci,  
Delictis veniam nec petit ille suis.*

*Hæc facit ebrietas, sunt talia præmia Bacchi,  
Dicit ad aeternum corpora supplicium.*

*Hæc quem non moueant? quem talia facta Lyei  
Deterrent nimio non maduisse mero?*

*Ah pereat, qui vult ultro perijse bibendo.*

*Ah pereat, quem tot nec mala tanta mouent.*

*Quis morbos animi, quis morbos corporis, ipsa  
Quos fert ebrietas, enumerare valet?*

Capti=  
uus Sa=

thanae.

# O R A T I O.

OMNIPOTENS, aeterni Deus, mens libera, casta,

Nomine Trini Deus, numine at Vne Deus.

Summe pater, vindex scelerum, virtutis amator,

Vinosos perdis qui Sodoma igne viros.

Nate patris summi, qui nos vigilare monebas,

Et curare pium sobrietatis opus.

Tuq; patris summi flamma o sanctissima, tu qui

Ebria corda fugis, sobria corda foues.

Da D E V S ut possum te sobrietate reveri,

Et tecum aeternum vivere morte obita.

F I N I S.

